



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Secunda secundae Summa Theologiae

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

3 Vtrum creaturæ irrationales sint ex charitate diligendæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72772)

amicitiam habemus, & cui bona volumus. Alio modo, sicut bonum quod amico volumus, & hoc modo, charitas per charitatem amatur, & non primo: quia charitas est illud bonum, quod optamus omnibus, quos ex charitate diligimus. Et eadem ratio est de beatitudine, & aliis virtutibus.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod Deus, & proximus sunt illi, ad quos amicitiam habemus: sed in illo modo dilectione includitur dilectio charitatis. Diligimus enim proximum, & Deum, in quantum hoc amamus, ut nos, & proximos, Deum diligamus: quod est charitatem habere.

AD SECUNDUM dicendum, quod charitas est ipsa communicatio spiritalis veritatis, per quam ad beatitudinem pervenitur: & ideo amatur sicut bonum desideratum omnibus, quos ex charitate diligimus.

AD TERTIUM dicendum, quod ratio illa procedit, secundum quod per amicitiam amatur illi, ad quos amicitiam habemus.

ARTICULVS III.

Utrum etiam creaturae irrationales sint ex charitate diligende.

AD TERTIUM sic proceditur. Videtur, quod etiam creaturae irrationales sint ex charitate diligende. Per charitatem enim maxime conformamur Deo: sed Deus diligit creaturas irrationales ex charitate, diligit enim omnia, quae sunt, ut habetur Sapientia 1. Et omne quod diligit, seipso diligit: ergo et nos debemus creaturas irrationales ex charitate diligere.

Præterea charitas principaliter fertur in Deum, ad aliam autem se extendit, secundum quod ad Deum pertinent: sicut creatura rationalis pertinet ad Deum, in quantum habet similitudinem imaginis, ita etiam creatura irrationalis, in quantum habet similitudinem vestigiis: ergo charitas etiam se extendit ad creaturas irrationales.

Præterea sicut charitatis obiectum est Deus, ita se habet: sed fides se extendit ad creaturas irrationales, in quantum credimus caelum & terram esse creata a Deo, & pisces, & aves esse productos ex aquis, & gressibus animalia & plantas ex terra: ergo charitas etiam se extendit ad creaturas irrationales.

SED CONTRA est, quod dilectio charitatis solum se extendit ad Deum, & ad proximum: sed nomine proximi non potest intelligi creatura irrationalis, quia non communicat cum homine in vita rationali: ergo charitas non se extendit ad creaturas irrationales.

RESPOND. Dicendum, quod charitas secundum prædicta, est amicitia quedam. Per amicitiam autem amatur aliquid dupliciter. Uno quidem modo amicus, ad quem amicitia habetur, & alio modo bona, quae amico optantur. Primo ergo modo, nulla creatura irrationalis potest ex charitate amari. Et hoc tripliciter, quoniam duo pertinent communiter ad amicitiam, quae

ad creaturas irrationales haberi non potest. Primum quidem, quia amicitia ad eum habetur, cui volumus bonum: sed non proprie possumus bonum vel le creaturae irrationali, quia non est eius proprie habere bonum, sed solum creaturae rationalis, quae est domina utendi bono, quod habet per liberum arbitrium. Et ideo Philosophus dicit in 2. Physicorum, quod huiusmodi rebus non dicimus aliquid bene, vel male contingere, nisi secundum similitudinem. Secundo, quia omnis amicitia fundatur super aliquam communicationem vitae: nihil enim ita proprium est amicitiae, sicut bona vita, ut patet per Philosophum 8. Ethicorum. Creatura autem irrationales non possunt communicationem habere in vita humana, quae est secundum rationem. Unde nulla amicitia potest haberi ad creaturas irrationales, nisi forte secundum metaphoram. Tertia ratio est propria charitati: quia charitas fundatur super communicationem beatitudinis aeternae, cuius creatura irrationalis capax non est. Unde amicitia charitatis non potest haberi ad creaturam irrationalem. Possunt tamen ex charitate diligere creaturas irrationales, sicut bona quae aliis volumus, in quantum, si ex charitate volumus eas conservari ad honorem Dei, & utilitatem hominum: et sic etiam ex charitate Deus eas diligit. Unde patet responsio ad Primum.

AD SECUNDUM dicendum, quod similitudo vestigiis non dat capacitatem vitae aeternae, sed similitudo imaginis: unde non est similis ratio.

AD TERTIUM dicendum, quod fides se potest extendere ad omnia quocumque modo vera: sed amicitia charitatis se extendit ad illa sola, quae nata sunt habere bonum vitae aeternae: unde non est simile.

ARTICULVS IIII.

Utrum homo debeat seipsum ex charitate diligere.

AD QUARTUM sic proceditur. Videtur, quod homo non diligit seipsum ex charitate. Dicit enim Gregorius in quadam Homilia, quod charitas minus, quam inter duos haberi non potest: ergo ad seipsum nullus habet charitatem.

Præterea amicitia de sui ratione importat reamationem, & equalitatem, ut patet in 8. Ethicorum, quae quidem non possunt esse homini ad seipsum: sed charitas amicitia quadam est, ut dictum est: ergo ad seipsum aliquis charitatem habere non potest.

Præterea illud quod ad charitatem pertinet, non potest esse vituperabile, quia charitas non agit peccata, ut dicitur 1. ad Corinthios 13. sed amare seipsum est vituperabile: dicitur enim 2. ad Timotheum 3. In novissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines amantes seipsos: ergo homo non potest seipsum diligere ex charitate.

SED CONTRA est, quod dicitur Leviticus 19. Diliges amicum tuum sicut teipsum: sed amicum ex charitate diligimus: ergo & nos ipsos ex charitate debemus diligere.

RESPOND. Dicendum, quod cum charitas sit quedam amicitia, sicut dictum est, dupliciter possumus de charitate loqui. Uno modo, sub communi ratione amicitiae,

Lib. 2. Physicorum text. 59. tom. 2.

Lib. 8. ca. 3. & 4. tom. 5.

Super Quaestiois viginti quatuor Articulum quartum.

In articulo 4. eiusdem quaestiois adverte ne fallaris in secundo distinctionis membro: putans quod ex propria charitatis ratione homo diligit seipsum, non ut volens sibi ipsi charitatem, sed ut quandam rem Dei. Hoc enim falsum esse etiam patet ex littera ibidem dicente, prout est amicitia ad Deum principaliter, & ex consequenti ad ea quae sunt Dei. Dicendo amicitiam ad ea, quae sunt Dei, insinuat ad ea quae sunt Dei ut amicae inter quae est ipse homo charitatem habens: diligit ergo se quis ex propria charitatis ratione, ut amicum Dei.

1. di. 32. q. 1. ar. 2. ad 3. Et 3. dist. 26. ar. 2. Et vir. q. 2. a. corp. & ad 10. \* Homi. 17. in Euang. in princip. illius.

lib. 8. Fel. cap. 3. & 8. simul sumptis tom. 5. q. 2. ar. 1.

q. 23. art. 1.